


88  
274







U. 9. 17





23. 37  
DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PRIMO ET SECUN-  
DO DECRETO

QUAM  
DIVINO ANNVENTE NUMINE  
EX DECRETO ET AVCTORITATE MA-  
GNIFICI ꝛCTORUM ORDINIS IN IL-  
LUSTRI ACADEMIA ꝛULIA,

PRÆSIDE  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. JOHANNES EICHELIO, JCTO,  
PANDECTARUM PROFESSORE ORDINARIO,  
DICASTERII GVELPHERBYTANI ADSESSORE,  
FACULTATIS IURIDICÆ HODIE DECANO  
SPECTATISSIMO,  
DOMINO PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO  
ÆTERNUM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

CONSEQUENDI SUMMOS IN UTROQUE JURE  
HONORES AC PRIVILEGIA

*Publica disquisitioni exhibet*

JOHANNES Jäger HAMBURGENSIS  
IN ꝛULEO MAJORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

*Ad diem 4. Septembris.*

---

HELMESTADII,  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IDC LXII.



Magnificis, Nobilissimis, Consulsissimis, Amplissimis  
Prudentissimisque

Dn. CONSULIBUS, SYNDICIS, SENATORIBUS  
& SECRETARIIS inclytæ Reipubl. Hamburg.

Dn. BARTHOLDO MULLERO }  
Dn. NICOLAO JARRE } J. U. L. & Consulibus  
Dn. PETRO LUTKENS }

Dn. BRODERO PAULI }  
Dn. JOHANNI MULLERO } J. U. D. & Syndicis  
Dn. VINCENTIO GARMERS }

Dn. ERICO WORDENHOFF. J. U. L.

Dn. GEORGIO ab HOLTEN

Dn. JOHANNI SCHROTERING

Dn. HERMANNO LANGENBECK

Dn. GEORGIO ab HOLTEN. J. U. L. } Senatoribus

Arcis Ritzbuttelenfis p. temp. Præfecto  
Dn. BARTHOLDO TWESTRENG. J. U. L.

Dn. PETRO ROVER

Dn. JACOBO SYLLM. J. U. L.

Dn. THEODORO MULLERO. J. U. L.

Dn. PETRO RENTZEL. J. U. L.

Dn. EBERHARDO à CAMPEN J. U. L. } pro tem-

Dn. JOACHIMO WICHMAN } porc Præ-

Dn. CASPARO WESTERMAN. J. U. L. } toribus

Dn. MARCO BUCC. J. U. L.

Dn. GARLEVO LANGENBECK

Dn. JOANNI à SPREKELSE N

Dn. JACOBO RODENBURG Protonotario }

Dn. HENRICO SCROTERING } J. U. L. & Se-

Dn. JOANNI SCHULTE } cretarijs

Dn. Mecanatibus ac Promotoribus suis humillimo animi cultu  
venerandis hanc disputationem inauguralem cum de-  
notâ sui commendatione

D. D. D.  
JOHANNES Jäger





I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

PRIMO ET SECUNDO

DECRETO

*Proœmium*



Mnes creditores, quorum interest, & spem solutionis habent ex bonis alicujus, securi reddi solent à judice de illâ certò consequendâ, missione in possessionem bonorum, tanquam remediò quodam adversus periculum amissionis. Quùm enim debitor sive reus, qui nexu quodam alicui tenetur, sui copiam non facit, ut cum eo agi queat, metus non est vanus, eum & nolle creditori suo solvere, & ne possit etiam, simul efficere, scilicet si res suas, quas possidet, aut alienet vel aliàs intervertat, ut creditori postea nil nisi inanis actio sit reliqua. Quapropter ne fraus ingrati debitoris ipsi prodesse & creditori nocere queat; Romani legum & æquitatis periti pariter & religiosi impijs fraudato-

Proœmiũ  
continens  
in disputa-  
tionem in-  
gressus

A 2

dato.



datorum technis obviam iverunt & creditores reddiderunt securos, minimum, ne vel latitantis vel absentis debitoris bona aut incuriâ domini damnum facerent, aut malitiâ ejus & dolo minuerentur, sed quantum fieri potest, in utilitatem creditoris servarentur. Neque commodiùs se hoc præstare potuisse crediderunt, quàm si creditorem in possessionem bonorum adversarij mitterent; non quidem ut illis bonis utatur fruaturque, sed ut solùm ea, ne detrimentum patiantur, custodiat. Quotiescunq; itaq; vel talis vel similis suberat metus, Prætor decernebat missionem in possessionem bonorum; ut exempla in Romanarum LL. Codice ubique multa sunt obvia: veluti propter debitum, ob legata, cùm illorum relictorum nomine heres, postulante legatario, non satisdat, cùm ventris, vel damni infecti nomine non cavetur, cùm reus in judicium vocatus deserit vadimonium, id est, neque sui potestatem facit, neque à quoquam defenditur *l. 2. quib. excus. in possess. eat.* Lite enim nondum contestatâ reus ob contumaciam damnari non potest, sed hâc pœnâ visum est antiquis eum à judice satis coerceri, si in ejus bonorum possessionem adversarij inducantur. Cùm verò Prætori iniquum videretur, ob solam levem contumaciam debitorem possessione suâ privari, quæ maximum commodum adferre solet *§. retinenda*  
*vers.*



*vers. commodum Inst. de interdicit.* invenit ille missio-  
nem ex primo & secundo decreto. Hinc missio  
ex primo decreto, quæ fit ob solam levem contu-  
maciam vel quamcunque absentiam, umbram sal-  
tim habet possessionis; quoniam talis missus à judi-  
ce verum effectum possessionis non habet; sed uti  
jam dictum, tantum ei custodia datur. Qua in re  
ipse Iurisconsultus Q. Mutius olim hallucinabatur,  
quem Paulus in l. 3. S. ult. de acquir. possess. carpit:  
*Quod autem Quintus Mutius, (inquiens) inter genera  
possessionum posuit, si quando jussu magistratus rei ser-  
vanda causâ, vel quia damni infecti nomine non  
caveatur, possidemus, ineptissimum est.* Crescente  
verò contumaciâ crescit etiam poena, & iudex  
interponit secundum decretum, per quod mini-  
mum vera possessio, si non dominium, creditori  
acquiritur. Nec desunt aliæ etiam poenæ, quibus  
contumax punitur tam de jure civili, quàm Cano-  
nico, de quo videatur latè agens Marantha de ord.  
judic. part. 6. de contumacia & Iust. Mejer. in colleg.  
Argentor. tit. si quis jus dic. non obtemper. n. 22. 23. &  
seqq. Ex ordinatione Camerae imperialis part. 3.  
tit. 43. tribus potissimum modis olim contra con-  
tumacem procedi potuit, uti notant Gailius, Myn-  
fingerus, Rosbachius, Gylhausius & alij: primò ad  
poenam banni: *Acht und Oberacht.* Secundò ad  
missionem in possessionem bonorum secundum



naturam intentatæ actionis & distinctionem, quæ  
traditur in cap. quoniam frequenter §. in aliis verò ca-  
sibus, X. ut lit. non contest. Tertio ad pronunciatio-  
nem in absentem; ita enim habent verba ordina-  
tionis Camera: So der Antwort in erster Rechtferti-  
gung des Krieges / ungehorsam sein / und darauß daß  
ruffen auß des erscheinenden Klägers begehren erkennet  
auch nach dem selben drey Gerichtstag verscheinen würdē /  
soll dem Kläger vergönnet und zugelassen seyn / gegen dem  
ungehorsamen und nicht erscheinendem Antwort zu der  
Acht und Oberacht / oder zu dem Einsatz nach gelegenheit  
der Sachen ex primo decreto, oder aber in der Hauptsach  
ordentlicher weiß biß zum end / welches deren ihm der Klä-  
ger am gelegensten sein wil / zu procediren, und welcher  
weg er also fürnehmen wird / darzu soll ihm durch Cam-  
merrichter und Beysitzer verholffen werden. Tamen si  
verò duo priores modi in Camera per ult. recess.  
Ratisponens. de anno 1654. §. 36. abrogati sunt his  
formalibus: Jedoch mit hinfüriger auffhebung der biß-  
herigen gebräuchlichen zweyen wegen entweder auß die  
Weis der Acht oder immisionem ex primo vel se-  
cundo zu procediren: missionē tamen in possessio-  
nem bonorum ex primo & secundo decreto in infe-  
rioribus judicijs adhuc omninò frequentari praxis  
hodierna docet, ne quis sibi persuadeat, me in eo  
versari argumento, quod è foro publicâ statuum  
authoritate sit eliminatum. Multa quippe in su-  
premis Germaniæ judicijs procerum voluntate  
sunt



sunt abrogata, quæ in inferioribus judicijs tamen vigorem suum retinent & propterea à praxi recessisse dici nequeunt. Quâ de causa præsentem hanc materiam loco disputationis inauguralis elaborandam eligere volui, secundum Pauli monitum *in l. 25. de liberat. leg. l. 44. de usucap.* ubi quæ utilia & in foro frequentissima sunt, propter sui ipsius commendationem non negligenda, sed plenius tractanda, & aliis, quæ vel rarò contingunt, vel nullum planè habent usum, præponenda dicit. Ne verò confundamus primum decretum cum secundo & secundum cum primo, seorsim de singulis agemus, à primo initium facturi. Faxit Deus T. O. M. ut hic qualiscunq̃ue conatus felicem exitum sortiatur.

## CAPUT I.

### DE PRIMO DECRETO

#### THESIS I.

**V**Ox decreti in jure nostro varias habet significatio-  
 nes. Dicitur enim decretum (1) sententia defini-  
 tiva *l. 40. de re judic.* vel interlocutoria *l. 1. in fin. de offic. ad sess.* (2) quod Papa de consilio Cardinalium nulla factâ consultatione constituit & tunc in scripta redigitur *c. si decreta dist. 20.* (3) auctoritas Principis in rescriptis beneficialibus interposita *c. gratia de rescript. in 6.* (4) Iudicis auctoritas in alienationibus rerum, præcipuè mi-  
 norum

Varia si-  
 gnificatio  
 decreti,



norum interposita *l. inter 17. & 1. 9. C. de prad. min.* (5) Illud, quod capitulum, vel ordo, vel universitas, vel major pars ordinavit *l. planè 4. quod cujuscunq. univers. nom.* (6) Consensus eligentium in scripta redactus *c. legum 9. quest. 1. c. 2. c. 20. innotuit. extr. de elect.* (7) Decretum quoq; pro sententia accipitur, quam Imperator ipse in judiciis tulit, uti hujus acceptionis vestigium cernere licet, *in l. 38. ff. de min.* Quæ decreta Icti collegerunt, & commentarijs illustrarunt. Denique (8) Decretum est jussus judicis, quò mandat bona alicujus propter contumaciam ejus vel aliam causam possideri, quod dividere solent in primum & secundum, in *Einsatz aus erster/ und ander Erfindniß*; ità, ut primum decretum primum jussum vel immissionem bonorum, secundum verò secundam immissionem denotet. Et hæc ultima significatio nostro propositio tantummodò convenit; reliquæ sunt alienæ.

## II.

An sit primum & secundum decretum.

Esse autem aliquod primum, & aliquod secundum decretum, indubium est, quòd Prætor primò in bona contumacis vel alia ex causa absentis ire jubet, *l. 2. quib. ex caus. inposs. eat.* & postea si is in contumacia perseveret, etiam possideri & vendi *l. 7. §. 1. eod. cui addi potest l. 15. §. 20. 21. & 13. de damn. infect.* Et licet Anton. Faber contra omnes statuatur figmenta hæc esse decreta, tamen contrarium esse verum, neque ejus opinionem in praxi attendi, rectè dicit Magnificus Dn. Hahn. *in suis observat. de damn. infect. vers. primum decretum.* Hotomannus his duobus casibus addit tertium, quò curator bonis vendendis constituitur, ità, ut ad missionem in possessionem bonorum tria desiderentur decreta: Unum, quo possideri bona; Alterum, quo distrahi jubentur, postquam



quam triginta dies possessa sunt. Tertium (quod juxta Hotomanni sententiam secundum in ordine locum obtinet) quò curator bonis vendendis constituitur. Verùm hæc sententia planè improbabilis esse videtur: Quòd enim decretum istud de curatore bonis constituendo necessarium non sit, evincit textus in *l. 9. de curat. furios.* ubi dicitur in potestate creditorum esse, utrum velint bonis debitoris curatorem dari, an verò velint bona distrahere, ita tamen, ut si unum horum elegerint amplius non habeant ad alterum regressum; non igitur præcisè necessarium est tertium istud decretum.

### III.

Varia primum hoc decretum sortitur nomina. Itali *tenutam Galli recredientiam* appellant, quòd per sententiam judicis res alicui credantur, id est, committantur. Hispani *interim*, Imbertus *possessionem fiduciariam* vocat, utpote quam quis sub regia fiducia & manu tenet. Rebuffus *tradit. de sentent. execut. c. 1. gloss. 1. præjudicialis possessionis sententiam*; Zasius *ad l. 15. §. 16. num. 13. primam aggravationem judicis contra reum contumacem nuncupat.*

Varia nomina primi decreti.

### IV.

Est verò primum decretum, ut definit Specul. in tit. *de primo decreto §. dicitur*, Bart. in *l. si finita 15. §. Iulianus n. 2. de dam. infect.* jussus judicis, quò mandar bona alicujus propter ejus contumaciam possideri: Vel decretum judicis est, quò ob contumaciam rei actor in possessionem bonorum custodiae causa mittitur, ut ea pignoris vice detineat, donec reus veniat responsurus *l. si bona 5. & l. in possessionem 8. C. de bon. auct. jud. poss. l. ad cognitionem, quib. ex caus. in possess. eat l. non est virum, de pignor. act. Petr. de Ferrar. in form. respons. rei §. intermino num. 14.*

Quid sit

B

Nobis



Nobis placet esse primum iustum iudicis, per quem actor in actione personali custodiam & detentionem bonorum, in reali verò veram possessionem acquirit & reus ob contumaciam amittit, *Salic. in auth. ei qui jurat, C. de bon. auct. iudic. poss. Zas. in d. l. finita.*

V.

Quinam  
possint in-  
terponere  
primum  
decretum.

Quinam verò possint ex primo decreto mittere in possessionem bonorum, non omni caret dubio. Et quidem non quivis iudices sed ij duntaxat, qui mixtum imperium habent, primum decretum rectè interponunt & missionem decernunt ac exequuntur, per nuncium publicum, vel etiam agenti ingrediendi facultate factâ *l. si bona C. de bon. auct. iud. poss.* Cùm enim missio in possessionem bonorum sit mixti imperij *l. 4. de iurisdic. pa-* lam est à iudice, qui nudam duntaxat notionem habet, decretum fieri non posse. An verò magistratus municipalis & delegatus possint decretum interponere, hîc non inconvenienter quæritur? Nos respondemus, etsi magistratus municipalis habeat ea, quæ mixti sunt imperij, non tamen habet ea, quæ magis sunt imperij, quàm jurisdictionis, hoc est, in quibus imperium eminet & dominatur *per l. 26. ad municip.* Hinc magistratus municipalis (nisi ex delegatione, in causa tantum damni infecti) mittere in possessionem bonorum nequit *per d. l. 26.* neque ex contumacia non venientis *l. 1. si quis ius dic. non obtemp.* Quod delegatum attinet, cui mandata est iurisdictionis, si quærat an ab illo primum decretum possit postulari, ut missionem decernat, statim sese offert duplex quæstio (1) an possit mandari in specie hoc jus? Quod affirmo per apertum textum in *l. cognitio 4. §. 1. de offic. ei. cui mand. iurisd.* ubi Ictus ita scribit: *Ut possessio bonorum detur, vel si cui damni infecti non caveatur, ut is possidere jubeatur aut*  
*ventris*



ventris nomine in possessionem mulier, vel is cui legatum est, legatorum servandorum causa in possessionem mittatur, mandari potest. (2) An generali mandato jurisdictionis contineatur? Quod etiam affirmandum censeo: quoniam mandatarius v. g. Prætoris, hujus vice & omnibus ejus partibus in expedienda jurisdictione fungitur: & svadet hanc sententiam ratio, quoniam cum jurisdictio propter absentiam aut occupationes mandari soleat, certè omne, quod Prætor si præsens esset, posset, id de legatus necessariò exequi debeat, aliàs creditoribus non consulere; & frustra vices Prætoris alij committerentur.

### VI.

Cæterùm quòd diximus missionem in possessionem bonorum esse actum mixti imperij, hoc saltem in ea, quæ fit ex causa judicati, & quæ secundum nostrum propositum ex contumacia rei est, obtinet, nam si absolutè sit quæstio de missione in possessionem, rectè etiam quædam esse jurisdictionis dicitur. Exemplum est dilucidissimum & omni exceptione majus *in l. ult. C. de edict. D. Adr. toll.* ubi scriptus heres post apertum testamentum omni vitio visibili carens, mittitur in possessionem rerum hereditariarum, quas mortis tempore testator possedit, ut ibi latiùs exponunt Dd., & post eos Scip. *lib. 1. de jurisdict. cap. 27.* non magis tamen hîc exercetur mixtum imperium, quàm cum possessor conventus hereditatis petitione aut ex interdicto quorum bonorum, jubetur bona hereditaria restituere heredi; nulla enim hîc est coercitio, aut jurisdictionis adversus inobedientes executio. Ita quoq; se res habet, quando venter in possessionem bonorum mittitur, ut alimenta inde habeat *l. 1. §. 2. & 11. de ventr. in possess. mitt. Magnificus Dn. Hahn.*

Quod datur etiam missio in possessionem bonorum quæ est jurisdictionis,



*in suis observ. ad tit. de jurisd. vers. jurisdictionem illi imp-  
rio inesse & cuncti per omnes species missionis in bono-  
rum possessionem plura fortè exempla occurrent.*

VII.

Quinam  
ex hoc de-  
creto mis-  
sionē pe-  
tere pos-  
sunt

Personæ, quæ ex hoc decreto missionem petere pos-  
sunt, sunt, quibus aliquid debetur; & sive purum, sive  
conditionale, vel in diem aliquid debeatur, nihil inter-  
est, *Specul. tit. de primo decreto §. sequitur n. 11.* Sed hi,  
quibus purè debetur, mittuntur in possessionem ad hoc,  
ut superveniente secundo decreto bona vendant *l. si quis  
creditorem 14. §. creditor, ex quib. caus. in possess. eat.* Alij  
verò quibus debetur in diem, vel sub conditione, inter-  
veniente secundo decreto ut non vendant, sed ut possi-  
deant, nisi caveatur de debito solvendo die vel conditio-  
ne existente, quomodo intelligenda est *l. in possessionem  
eod.* Necessè autem habet ille, qui experiri intendit, ut  
illam missionem petat seu postulet, & quidem pro tribu-  
nali. Unde Cyn. movet hanc quæstionem *in l. cum pro-  
ponas. C. de bon. auct. jud. num. 8.* an etiam decretum pri-  
mum possit interponi à iudice non sedente pro tribu-  
nali? & remittit se ad Dylum, de quo attestatur Bald.  
*in auth. & qui jurat. C. eod. tit. n. 18.* eum existimasse,  
quòd rectè petatur à iudice non sedente pro tribunali:  
quod tamen rectiùs reprobatur Bald. *ibid.* & rationem  
Dyli, quæ hæc est, quòd nempe missio ex primo decreto  
nullum conferat jus, removet, dicens: quòd imò con-  
ferat jus pignoris, cujus non pauci, nec exigui sunt ef-  
fectus. Et sanè licet absque hoc esset, tamen rationi juris  
nostri convenit, ut decretum pro tribunali interpona-  
tur. *l. dies cautioni 4. §. hoc autem 8. de damn. infect.*

IIIX. Per-



## IIX.

Personæ, contras quas decretum hoc interponitur, sunt debitores contumaces aut fraudulenter latitantes, vel absentes aut pro absentibus habiti & non defensi: in has enim personas conceptum est edictum Prætoris: *si quis fraudationis causâ latitet, sicui heres non extet, si quis absens in iudicio non defendatur, si quis exilij causâ soluta verterit, ut apparet ext. 2. quib. ex caus. in possess. eat. & orat. Cicer. pro Publ. Quir.* Hinc observandum est, in pupillorum vel adolescentium vel reipublicæ causâ absentium bona immisionem fieri posse custodiæ causâ, non tamen ut vendantur *l. 33. & 35. de reb. auct. judic. poss. De pupillo in d. l. 33.* ita dicitur: *deminutio fieri debet ex his bonis rescendi pupilli causâ, quod eò pertinet ut ante pubertatem non procedatur ad secundum decretum, ut notat Zas. in l. 3. §. contractum. quib. ex caus. in possess. eat.* Quod jus etiam referendum est ad furiosos & prodigos. *l. 7. §. 10. & seqq. ex quib. caus.*

Contra  
quas peti  
possit,

## IX.

Quòd autem asserimus, in bona pupilli missionem fieri posse *l. 3. 4. & 5. d. t.* qui tamen ex contractibus sine tutore gestis non obligatur, id eò spectat, ut missio fiat ex eius debiti causa, ex quo in pupillum efficax actio est *d. l. 3. §. 1.* Priusquam tamen missio fiat, debet constare, an sit aliquis nec ne, qui pupillum defendere velit. Evocandi igitur sunt tutores, ut defendant, (ad quod omninò tenentur, nisi ut suspecti accusati, cum infamia removeri & in omne damnum ex defensionis omissione pupillo datum teneri velint;) Si non habet tutores, ei dandi sunt: aut si forte nullus idoneus tutor inveniatur, vel qui tutores electi erant, nolint esse tutores & appel-



lant, *Zaf. ad l. s. tit. quib. excus. in poss.* requirendi sunt cognati, vel ad fines, & si qui alij forte sunt, quos verisimile est defensionem pupilli, pupillæ non omiffuros, vel propter necessitudinem, vel propter charitatem, vel qua aliâ ratione: liberti etiam, si qui sunt idonei, evocandi exquirendaque defensio: qui tamen ita à magistratu interrogati an defendere velint, si taceant, perinde ac si negassent, habebuntur. *l. s. §. i. d. t.*

X.

De minori viginti quinque annis dicendum est, quòd habeat curatorem vel non. Illo casu, aut curator defendit ipsum, & tunc re expedita est, quia ordiuariâ viâ proceditur: aut non defendit, & removendus, aliusque in locum ejus substituendus est. Hoc casu, minori dandus est curator, aut interim missio in bona decernenda, ut tamen ad secundum decretum non perveniatur, nisi minoris utilitas exigat, ut venditis aliquibus rebus creditores dimittantur: quæ in omnibus, qui tutorum vel curatorum ope juvantur, observanda esse statuitur *in l. 7. §. 10. cum duobus seqq. quib. excus. in possess.*

XI.

In quibus  
actionibus  
decretum  
hoc locū  
habeat.

Sequitur nunc videre, in quibus rebus, vel actionibus hoc decretum locum habeat. Generaliter autem primum decretum interponitur. I. in realibus & personalibus actionibus, quotiescunque quis non defenditur, quoniam *§. in alius & §. fin. ext. ut lit. non contest. l. prope-  
randum §. fin. autem C. de judic. l. si quis emptionis §. fin. C. de  
prescript. 30. annor.* II. In his, quæ vicem obtinent actionum; ut cum cautiones postulatur de damno infecto, vel de legatis, vel cum mulier petit, ut mittatur in possessionem causâ ventris: nam hæ cautiones obtinent  
instar



instar actionum *l. actionis verbis. 33. de oblig. & act.* Et quod his casibus fiat missio in possessionem, probatur, *ex l. 1. 2. 3. & 4. ex quib. caus. in possess. & predict. l. si quis emptionis l. 4. §. 1. de damn. inf. & l. is cui ut in possess. legat. vel fideic. III.* habet locum, quando agitur interdictio, Unde vi, ad possessionem recuperandam. IV. In interdictis in rem scriptis, causa rei servandæ, uti probatur *exc. 1. extr. de eo qui mittit. in possess. caus. rei serv.* Res verò, in quas In quibus rebus, aliquis mittitur, sunt bona rei tum propria & allodialia, tum emphyteutica *Bald. in l. si finita §. si de vectigalibus n. s. & 6. de damn. infect.* imò spiritualia *cap. contingit ubi Panormitan. num. 11. de dol. & contum.* neque interest pleno jure earum rerum dominus sit, an utilis, vel usufructarius, *Specul. §. restat. num. 7. cum seqq.* Et quia per missionem, de quâ hic agimus nuda custodia & non nisi pignus constituitur, mirum non est, si etiam missio fiat in bona, quæ debitori ab alio fuerunt oppignorata *l. 5. §. 7. ut in possess. legat.* siquidem receptum est, ut etiam pignus pignori dari possit: ut tamen soluto jure dantis solvatur jus accipientis *l. 31. de pignor.* Et hinc rectè excipimus bona deposita & commodata *l. 5. §. 10.* rectè etiam fortassis bona feudalia, vel quia sine consensu domini pignori dari non possunt, vel quia regulariter in ea tantum bona fit missio ex primò decreto, super quibus vendendis etiam decretum secundum interponi. potest, *arg. l. pen. in fin. quib. ex caus. in poss.* Attamen quòd in defectu aliorum bonorum fieri queat missio in possessionem rerum feudalium communis est Dd. sententia, quæ in primis nititur consuetudine & praxi hodierna de quâ testantur *Andr. Gail. in observ. 117. lib. 1. & Wesenb. in paratit. tit. de reb. auct. jud.* Limitant tamen Dd. & restringunt hanc opinio-



opinionem ita ut immisio ista tamdiu in rebus feudali-  
 bus duret atque effectum sortiatur, quamdiu jus vasalli  
 durat, non verò ulterius. Ut ita nihil juris quoad feu-  
 dum in ipsum creditorem transferatur, & ideo si vasal-  
 lus debitor mortuus sit, tametsi & fructibus perceptis  
 creditori plenè satisfactum non sit, feudum iterum  
 ad agnatos vel ad dominum redeat, quibus vasallus de-  
 bitor præjudicare non potuit, secundum regulam *ex d.*  
*l. 31. de pignor.* allegatam, exceptò tamen eò casu, quo  
 constat, creditum in utilitatem domini vel agnatorum  
 esse versum, ut pro maritanda filia, vel re feudali melio-  
 randa und also ein recht Lehnschuld ist. Denique non  
 necessarium & essentialè est ut decretum secundum se-  
 quatur, licet aliàs primum dicatur respectu secundi, *l.*  
*qui duos. de reb. dub.* non tamen semper *ut cap. 5. extr. de*  
*verb. signif.* cum & creditor, si placet, primo decreto pos-  
 sit acquiescere & missionem ex secundo non petere.

XII.

Quòd mis-  
 sio debeat  
 fieri se-  
 cundum  
 formam in  
 causâ exe-  
 quendi ju-  
 dicati.  
 1. In mo-  
 bilia.  
 2. In res so-  
 li seu im-  
 mobilia.

Cùm verò misio ad eum utiq; effectum, ut in iisdem  
 rebus postea fiat executio, fieri debet, consentaneum  
 sanè est, ut misio fiat ad eam formam, quæ præscripta  
 est in causa exequendi iudicati *in l. 15. de re jud.* Nimirum  
 ut primò de mobilibus incipiatur, licet etiam inter hæc,  
 si sint diversarum specierum aliquis ordo sit servandus,  
*Ioan de Imol. in d. l. à Divo Pio 15. §. 2. num. 1. vers. in glossa*  
*super verbo animalia*, de quo ordine consuli potest Berlich.  
*part. 1. conclus. 81. num. 65. 66. & seqq.* Secundò si mobilia  
 non supersunt misio fit in res soli seu immobilia *l. 15. §.*  
*in venditione vers. si non suffecerit ff. de re judic.* Et in alia,  
 quæ de jure vel consuetudine immobilibus æquiparan-  
 tur: puta annuæ præstationes, Jason *in d. l. 17. §. sic quoq;*

n. 1.



n. 1. sub. fin. vers. secundo singulariter ff. de re judic. latè  
Andr. Gail. (ubirationes & limitationes addit) lib. 2. observ.  
10. n. 1. & seqq. jura venandi, piscandi, jurisdictiones &  
similia Vult. tract. de feud. lib. 1. c. 1. n. 1. in fin. vers. ut sunt  
jura venandi. Et omnes omnino res, ex quibus fructus  
percipiuntur, Gail. lib. 2. observ. num. 1. In immessione  
hac immobilium etiam ordo attendi debet, de quo vi-  
deri potest idem Berlich. part. 1. conclus. 81. num. 108. & 109.  
& seqq. Denique si neque mobilia, neque immobilia ad-  
sint, tum pervenitur ad nomina & actiones, sæpius alle-  
gatâ l. 15. §. 2. sub fin. & §. sic quoq. judices 8. de re judic. Jure  
Canonico distinguitur actio realis à personali, ut in hac  
primùm missio fiat in mobilia, quæ si non sint, in immo-  
bilia & tandem in jura & actiones cap. ult. §. in aliis & §. ult.  
Xra. ut lit. non contest. ubi ita Pontifex scribit: In aliis verò  
casibus prudenter est attendendum, utrum contumax reali  
actione an personali conveniatur: si reali, mittendus est  
actor in rei petita possessionem, ut ratio adfectus reus veniat  
responsurus: si autem super personali actione conveniatur,  
vel mittendus est actor in possessionem mobilium ipsius, vel  
immobilium, si fortè mobilia non habeat, pro modo debiti  
declarati & c. Enimverò quoad actiones personales,  
in quibus maximè hæc differentia notatur, ea sanè vera  
est, si Cujacij opinionem sequamur, de quâ in th. 15. sed  
positâ communi opinione, quam nos sequimur, nulla  
hîc differentia est: quoniam si ex primo decreto missio  
fieri debet pro mensurâ debiti in res aliquas, ut postea in  
ijsdem secundum possit decerni, æquum sanè est, ut in  
missione observetur forma executionis, quæ extat in d. l. 15.  
de re jud. Et Hugo Donellus lib. 23. comm. c. 11. hoc pontifi-  
cis decretum crasso niti errore ait, qui exinde profectus sit,

3. Si neque  
mobilia  
neque im-  
mobilia  
adsint, in  
nomina &  
actiones.

C

quod





quòd nempe bona ex causa judicati capta, cum bonis nondum judicati rei confuderint: quia præfatus ordo in bonis saltem ex causa judicati captis servetur *d. l. 15.* Non autem in bonis rei nondum judicati: Idem confirmat quoque Scipio Gentilis *de juris dict. lib. 1. c. 24.*

Requisita  
primi de-  
creti,

XIII.

Porro ut missio ex hoc decreto decerni possit, requiritur ut plurimum, primum contumacia ipsius rei vel debitoris, postquam tribus edictis, aut peremptorio uno citatus est. *Bart. in l. si finita §. Iulianus num. 8. tit. de damn. infect.* & actor contumaciam absentis accusavit (Judex enim non impertit officium nisi postulatum *l. 4. §. hac autem. de damn. in f.*) Secundò, ut judici de debito & contumacia ejus per summariam saltem cognitionem causæ liqueat, utque reum contumacem esse declaret & actori missionem decernat. Quæ cognitio causæ de jure veteri ita se habebat: In actionibus realibus tantum de contumacia rei agebatur & ubi de eâ constabat, fiebat immissio; in personalibus verò præter cognitionem de contumacia & de ipso debito inquirebatur & postea decernebatur immissio. Hujus rationem assignat *Bachov. in tit. de damn. inf.* quòd Prætor olim ordinariè causam non cognoscebat, sed dabat cum formula judicem Pedaneum, causa autem contumaciæ rei hærebat adhuc apud Prætorem, qui in pœnam contumaciæ decreta interponebat. Hodie verò *juxta Novell. 53. cap. 4.* præter contumaciam rei requiritur aliquod examen summarium & in actione reali & personali ob textus generalitatem, *Magnif. Dn. Hahn. in suis observ. ad tit. de damn. inf.*

Modus  
quo ad pri-  
mum de-  
cretum per-  
venitur,

XIV.

Positis jam requisitis, inquiremus in modum, quò  
ad



ad primum decretum perveniatur. Et ille hic fere est:  
Actor offert libellum, vel petitionem suam coram iudice  
saltem exponit: huic ut respondeat reus, legitimo modo  
citatur tribus edictis, aut peremptorio uno. *Bart. in §. Iu-  
lianus num. 3. & 4.* eo non comparente, actor contuma-  
ciam eius accusat, ut eum contumacem esse postea ju-  
dex declaret *l. consentaneum §. C. quom. & quand. cap. 4. de  
dol. & contumac.* & possessionem juxta actionis qualita-  
tem actori decernat, *Auth. & qui jurat. C. de bon. auct.  
judic. poss. Bart. & Dd. in l. litibus C. de agric. & censit.  
Alexand. consil. 6. num. 9. volum. 4.* olim quidem in omni-  
bus indistinctè bonis *gloss. in l. cum proponas §. C. de bon.  
auct. jud. poss. l. 1. ex quib. caus. in possess.* at hodie pro men-  
sura debiti, seu quantitatis petitiæ *c. quoniam §. frequen-  
ter X. ut lit. non contest. auth. & qui jurat. C. de bon. auct.  
judic. poss.* Cujus correctionis fundamentum constitui-  
tur primò *in l. 6. §. 3. & §. sed si 4. C. de his qui ad Eccles. ubi  
Imperator ita scribit: Cum autem monitus fuerit in publico  
privatoque contractu, actione civili: in ejus sit arbitrio sive  
per se, sive (si magis elegerit) instructo solenniter procura-  
tore directo, in ejus judicij, cujus pulsatur sententiis, exami-  
ne respondere. Sed si hoc facere detrectet, aut differat,  
judiciorum legumq; solitus ordo servetur. Itaq; si res immo-  
biles possidet, post edictorum solennium citationem ex senten-  
tia judicantis usq; ad modum debiti bonorum ejus sive præ-  
diorum traditio, sive venditio celebretur. In hoc textu  
evidentissimè pronuntiatur, missionem fieri in bona  
latitantis, usque admodum debiti. Secundò correcti-  
onis fundamentum præcipuum ac principale ponitur.  
*in Nov. 13. cap. 4.* cujus verba hæc sunt: *Igitur ne latitan-  
te eo & tardata exhibitione, causa maneat suspensa, exami-**





net, ut potuerit, iudex, in quam terram abisse dicitur: & det inducias certas, ut nisi intra eas occurrerit (liberam tamen hujus rei fiduciam habens, si non forte studio actoris impediatur, aut venire prohibeatur) tum secundum unam partem examinet negotium & in possessionem mittat actorem rerum ejus, secundum mensuram declarati debiti. Quocirca apertum est, quod hodie non amplius fieri debeat missio creditoris in universa bona latitantis debitoris, sed in ea solum, quæ sufficere possunt debito.

XV.

Quæ communissima opinio circa hoc decretum. Opinio Cujacij.

Ita quidem habere communissimam opinionem, quod hodie missio pro quantitate debiti & non in universa bona fieri debeat, non nego, teste Zas. in l. 12. num. 11. ff. de reb. auct. jud. Attamen secundum opinionem Cujacij ad d. Novel. 53. quæ probatur à Scip. Gentil. de jurisdic. cap; 24, nec adeo improbabilis videtur, vitiosa hæc censetur collectio: Quicumque mittitur in possessionem rerum pro modo debiti, is non mittitur in universa bona, sed tantum in partem bonorum, respondentem modo debiti: hæc enim propositio nusquam in jure traditur. Et quamvis olim bona essent majora, in omnia tamen fiebat missio, sed tantum pro modo debiti. Ita Cujacius. Hoc modo, juxta Cujacium, verba Justin. secundum mensuram debiti, referrentur ad effectum & executionem primi decreti, quod scilicet creditor missus servare suum creditum possit, atque ita debuisse verti ait Scip. Gent. ista verba, *ὡς τὸ μέτρον τῆς διαφανομένης χρεῆς*, ad quantitatem declarati debiti, scilicet conservandam seu consequendam.

XVI.

Nos missâ hac opinione Cujacij, communem illam sequi-



sequimur; quâ positâ videtur mutatum esse, quod est in  
*l. 12. de reb. auct. jud. poss.* missionem unius creditoris et-  
iam alijs prodesse. Ita enim aut perspicuè evertitur  
communis & stabilitur Cujacij sententia; aut ista Zasii  
opinio, de quâ in præcedenti thesi dictum, falsa est: quia  
cùm utique is mitti dicitur secundum Dd. pro mensurâ  
debiti, qui non in universa bona, sed in res aliquas  
singulares mittitur, fieri nullo modo potest, ut hic quo-  
cunque modo aut per ipsum alij creditores in alia bona  
missi videantur; sed necessum est, ut sequentes creditores  
quisque seorsim pro mensura & quantitate debiti sui im-  
missionem in certa bona à prætore petant. Quare rectius  
defenditur, hanc regulam amplius veram non esse, *Bach.*  
*ad Treutl. th. 3. lit. G. tit. de benefic. credit.* ratio autem hu-  
jus videtur fuisse, vel quòd missio non fit ratione certæ  
personæ, sed magis in rem, quòd quis latitat, aut aliàs non  
defenditur: vel quòd missio non fit in rem singularem,  
sed in universa bona & amplius, non ut ea possideat, sed  
ut ea debiti causa custodiat, nec proinde speciale aliquod  
jus præ cæteris debitoribus consequatur.

XVII.

Quod si ergo agatur actione personali, & petatur  
vel res certa, actor mittitur in rem petitam *l. 7. §. 17. ex*  
*quib. caus. in possess. eat.* vel petatur res incerta, genus  
vel quantitas & pro mensura tantum debiti declarati fit  
missio *c. quoniam §. ult. & auth. & qui jurat. C. de bon. auct.*  
*jud. possid.* Decens enim est, ut primò fiat missio in posses-  
sionem illius rei, de quâ agitur: & si ratione interesse plus  
aliquid debetur, fiat etiam in possessionem aliarum: li-  
cet ex causâ aliud fieri possit quandoque. *Specul. §. restat*  
*num. 39. de primo decreto* Vel actione reali agitur, eaque  
Quid petatur si agatur actione personali.  
Quid si agatur res realis.





res tota petitur, eodem modo in totius rei possessionem mittitur actor; si verò pars, in partem petitam l. 7. §. 17. ex quib. caus. in possess. eat. c. quoniam, in verb. in possessionem rei petita. de eò qui mittit. in possess. rei servand. nisi quando reus latitat vel dolo desit possidere c. quoniam §. quod si super ext. ut lit. non contest. l. Fulcinius §. item videamus & §. seq. ex quib. caus. in poss. ubi & Gotofredus in margine videatur. Sed ratio, quâ utitur Specul. de secundo decreto §. videndum num. 5. est nulla; absurdum enim esset, inquit, quenquam in plus mitti eique plus adjudicari, quàm petit: hîc enim non quæritur de facienda adjudicatione, sed simplici missione ex primo decreto: & fatetur ipse olim in omnia bona fuisse missos creditores: quamvis ratio hæc accommodata actionibus in rem aliquem habeat colorem, Bachov. in not. ad VVesemb. tit. de damn. infect. verb. pro mensurâ debiti. Forma immisionis ex hoc decreto, hæc esse potest: Wir N. die Richter und Schöpffen des Gerichts N. thun hiermit öffentlich kund daß wir auff N. als Klägers anruffen N. als Beklagten erstes/ ander und drittenmals auff N. Tag vor uns in Recht zu erscheinen peremptoriè citirt und geladen. Er ist aber durch sich selbst/ noch durch seinen Anwald zc. Bollmächtigen nicht erschienen und hat demnach gedachter Kläger sich sein des Beklagten Ungehorsam beschwert und und wir auff sein Klägers ferner anruffen ihn Beklagten für Ungehorsam erkant/ und darauff daß Libell von ihm Klägern angenommen/ dieses Inhalts vor euch zc. Und als nun der gemeldte Beklagter über und wieder unsere weiter gerichtliche Fürheischung in seinen Ungehorsam verharret/ hat der gehorsame Kläger ferner begehret ihn zu den Beklagten Gütern an und ein zusehen/ darauff wir ihm

Formaim-  
missionis  
ex hoc de-  
creto.



ihm zuvor den Eydt für Befehrd auffgeladen / den er  
also geschworen / nemlich / daß alles so in seiner Klage be-  
griffen / war sey / daß er auch gänzlich gläube solch begeh-  
ren mit guten Gewissen zuthun. Demnach so erkennen wir  
hiermit durch dieses Beyurthel / das ihme Klägern von  
obgemeldtes Beklagten Ungehorsam wegen die Posses-  
sion und Besizung N. Gutsz. eingeantwort / also daß er  
dasselbe Gut verwahren und behalten und darbey wie sich  
gebühret gehandhabt werden. Und solle der vorgeandte  
ungehorsam beklagte darzu die Gerichtskosten und Ex-  
pens nach rechtmässiger Taxirung / die wir uns künfftig  
vorbehalten / auch ablegen und erstatten zc. des zu Urkund zc.  
hanc formulam tradit Specul. in tit. de primo decreto §.  
sequitur n. 4.

XIIX.

Finis hujus missionis est, ut creditoribus res ser-  
vetur (rei enim servandæ causa hæc missio fit) & tædio  
istius detentationis affectus debitor tandem veniat ad  
respondendum. arg. l. is cui. ut in poss. legat. Vvesembec. in  
parat. quib. ex caus. in poss. eat. n. 8. Gædd. de sequestr. poss.  
n. 75. Hillig. in Donell. enucl. L. 25. c. 11. lit. T.

Finis hu-  
jus decreti

XIX.

Quod ad effectum attinet, missus consequitur jus  
pignoris l. 2. C. qui potior. in pign. l. fin. C. de prat. pign. l. non  
est mirum. de pignor. act. Quale nam verò ex immisione  
in possessionem constituatur pignus, non otiosè, nec  
frustra quæritur. Tria siquidem pignorum genera à  
Dd. constitui solent: Pignus conventionale, judiciale  
& prætorium. Equidem non dubito dicere, quòd pi-  
gnus, quod ex immisione in possessionem bonorum  
constituitur, prætorium sit pignus. Prætorium enim il-  
lud

Effectus  
hujus de-  
creti,



Iud dicitur pignus, quod à prætore seu magistratu constituitur *t. t. C. de prat. pign.* Atqui per immisionem in bonorum possessionem constituitur pignus à magistratu, per textum in *l. non est mirum. de pign. act.* Accedit, quod pignus revera duplex sit non triplex, conventionale & prætorium *l. 2. C. de prat. pign.* cuius hæc sunt verba: *Veteris juris dubitationem decidentem, ad duplum genus hypothecarum respeximus, unum quidem quod ex conventionibus & hominum pactis nascitur, aliud quod à iudicibus datur & prætorium vocatur:* in hac constitutione dividit Justinianus Imperator pignus in duas duntaxat species, in pignus conventionale & prætorium. Jam verò certum est, quòd pignus, quod immisio magistratus constituit, non sit conventionale, cùm ex conventionem & consensu partium præsertim debitoris latitantis non constituatur. Relinquitur proinde, quòd sit pignus prætorium.

XX.

Ad effectū  
pertinet,  
quòd mis-  
sio tribu-  
at in aeti-  
one per-  
sonali cu-  
stodiam.

Ad effectum igitur pertinet, quòd missio tribuat in actione personali jus servandæ vel custodiendæ rei, in quam missus est. *l. Fulcinius §. Celsus cum seq. l. cum legatorum ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. si finita §. Iulianus de damn. infect. & tt. ext. de eo qui mitt. in poss. rei servand. caus.* Nicht daß er die Güter besitze viel weniger vereussere oder zu seinen Nutzen gebrauche / sondern dieselbe allein mit den Schuldner als ein getreuer Vorsteher bewahren und behalten solle. Unde inquit Magnif. Dn. Hahn. *in suis observ.* quòd ita in decreto pronunciari soleat: *Als wir den Klägern in des Beklagten Güter dergestalt einsetzen daß er dieselbe verwahren / behalten auch dabey wie es sich gebühret gehandhabet werden soll.* Non igitur dominum possessione privat *d. l. si finita §. si quis, sed rem*



rem eum domino tenet, servat, custodit, ita ut nihil sine ipso fieri possit *l. is cui. ut in poss. legat. l. si duo §. creditores. uti possidet.* Si tamen periculum est, ne discordiam ista communio pariat, causaque ad arma spectare videatur, iudex, quis horum solus possidere debeat, constituere *Specul. de secundo decret. §. jam de effectu num. 6.* vel sequestrare possessionem potest. *c. 1. ubi Panor. n. 8. de sequestr. c. 2. ubi Panor. n. 12. de dolo & contum.* Ad effectum hujus decreti quoque spectat; quod in actione reali missio statim tribuat veram possessionem *l. 2. C. ubi in rem act.* quod tamen non fit irrevocabiliter; sed debitor, seu reus, si intra annum venit & contumaciam purgat, rem recuperat *c. quonia frequenter §. si reus. X ut lit. non contest. l. si quis §. pen. C. de prescr. 30. vel 40. ann. l. 2. in fin. ubi gloss. C. ubi in rem act.* Quod & Dd. communiter sequuntur, & in praxi observari docet Magnif. Dn. Hahn. *in tit. de damn. infect.* Rationem autem, quare missus in personali non possideat, in reali verò quod sic, hanc assignare solent, quod scilicet, quando ago personali, ago contra illum, qui mihi obligatus est ex contractu vel quasi, ex delicto vel quasi. Unde si mittor in possessionem pro mensura debiti declarati, quodam extraordinario jure mihi subvenitur: quia (ut ita dicam) mittendus essem in possessionem personæ, quæ obligata est: & non in possessionem rei, quæ obligata non est, sicut aliàs in delictis persona punienda est, non res, quæ non deliquit: sed quia libera persona possideri non potest *l. cum heredes §. fin. de acquir. poss. & c. 11. ext. de pign.* ideo succurritur mihi in rebus, non ut eas possideam, sed ut custodiam, donec tædio affectus &c. In reali autem ideo missus possidet, quia quando ago in rem, dico rem meam esse, sicut in rei vindicatione:

In actione  
reali pos-  
sessionem.

D

vel



vel jus in ea mihi competere, sicut in hypothecaria & in  
confessoria & in alijs realibus: & sic tunc agendo contra  
personam, ago contra illum, qui nullo jure mihi obli-  
gatus est: sed ideo ago, quia tenet rem *ut §. 1. Inst. de act.*  
& ideo si persona citata non compareat, justum est, ut  
mittar in possessionem rei petitæ, cum hoc sit ordina-  
rium, quando non est, qui defendit reum: quia dico rem  
esse meam, vel me in ea jus habere. Non impedit,  
quod missio fit rei servandæ causâ, quæ qualitas & natu-  
ra est primi decreti. Nam ita quidem obtinet, ex ra-  
tione juris Canonici, quod videlicet in realibus ex pri-  
mo decreto non fiat possessor, *veluti in cap. ult. §. in alijs*  
*X. ut lit. non contest.* ubi in reali actor dicitur mittendus in  
possessionem, ut reus tædio affectus veniat responsurus:  
& *in cap. 1. Xra. de eo qui mitti. in poss. ibi, causa rei servanda*  
*tantum in possessionem inducti, & in cap. 2. eod. ibi, rei servan-*  
*da causa in possessionem rei petitæ miserunt;* sed non ex ju-  
re civili, quô omnino verius existimatur etiam in spe-  
cie *l. 8. §. pen. C. de præscript. 30. ann.* possessionem trans-  
latam fuisse, *Bachov. ad Treutl. th. 6. lit. C. tit. de nov.*  
*oper. nunciat.* & sic itaque jus est, ut possessio sit penes  
petitorem, in quem propter contumaciam absentis  
translata fuit; quæ tamen absentis intra annum reverso  
præstitâ saltem cautione restituatur; postea autem rever-  
so non restituatur, nisi judicio petitorio intra decem an-  
nos inter præsentem, vel 30. inter absentes (quia ex eo tem-  
pore fuit possessor dominus, vel saltem habuit justum  
titulum possidendi secundum *Bag. in l. 3. in fin. de public.*  
*in rem act.* si enim titulum non haberet, non fieret domi-  
nus *l. Celsus de usurp. & usucap.*) nisi sese dominum esse  
probaverit.



Dictum est in præcedenti thesi immiſſionem ex pri-  
 mo decreto in actione personali fieri rei ſervandæ, vel  
 custodiendæ cauſâ. Hinc ſequitur, quòd rebus iſtis, in  
 quas miſſus eſt creditor, uti frui nequeat, quod etiam in  
 tantum verum eſſe dicit Fulcinius, ut ne quidem ex illis  
 ali debeat *l. 7. pr. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eat. niſi iudex in-  
 terpoſitione huius decreti expreſſè diſpoſuerit, ut fru-  
 ctus lucretur Petr. de Ferr. in pract. in form. reſponſ. rei §.  
 in termino num. 18. Zaſ. in §. Julianus n. 24. de damn. infect.*  
 ubi tradit, quibus caſibus miſſus ex primo decreto fru-  
 ctus ſuos faciat, qui etiam notantur in *l. is cui §. qui le-  
 gatorum. §. ſed & ut in poſſeſſ. legat.* Verùm anne dicta  
 regula etiam locum habeat in actionibus in rem, dubita-  
 tur, propter illa, quæ in theſi præcedenti dicta ſunt? Nos  
 reſpondemus, quòd ex reali actione miſſus in poſſeſſio-  
 nem bonorum ex primo decreto fiat ſtatim verus poſſeſ-  
 ſor, & poſt annum fructus conſequatur. Licet enim in iſs  
 creditor ſtatim poſſeſſionem adipiſci putetur, ſi tamen  
 intra annum prior poſſeſſor revertatur, rem recuperat *d.  
 c. quoniam frequenter §. ſi reus X. ut lite non cont. l. ſi quis §.  
 penult. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. & res non videtur recupe-  
 rari, niſi fructus reſtituantur. l. ex diverſo §. 1. de rei vind.  
 Panorm. in c. quoniam §. ult. num. 38. ut lit. non conteſt.*  
 niſi miſſus id ſpecialiter impetret, propter nimiam con-  
 tumaciam debitoris ut in *l. Fulcinius §. ſin. quib. ex cauſ. in  
 poſſeſſ.* quamvis percipere fructus interea temporis & cu-  
 ſtodire aut vendere eoſdem, cùm ſervando ſervari ne-  
 queunt, non prohibeatur. *l. is cui §. qui legatorum. ut in  
 poſſ. legat. Barr. in l. ult. in pr. d. t.* Sunt tamen aliqui ca-  
 ſus in quibus miſſus ſtatim utitur fructibus: ut ſi mulier

An quĩs  
 rebus in  
 quas miſſus  
 eſt uti  
 frui poſſit.



ventris nomine in possessionem mittatur nisi per calumniam missa fuerit *l. 1. & 2. si mul. vent. nom. in possess. mitt. l. 1. §. 1. de vent. in poss. mitt.* item in specie *l. 14. ut in poss. legat.* item cum filius mittitur in possessionem ex Carboniano edicto *l. 2. C. de Carbon. edict.* Sed in his casibus non fit missio propter contumaciam, sed propter favorem; unde præsentem tractatum non tangunt.

XXII.

Remedia  
quibus  
Prætor  
missos tu-  
tur.

Postquam jam igitur creditor missus est, voluit Prætor, ne hæc missio esset elusoria, seriò tueri decretum suum, & edictum hoc, *ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, quo creditor consequitur, quanti ea res fuit, ob quam in possessionem missus erat, proponere adversus eum, qui aut prohibet venire in possessionem, aut molestat iam missum. Et sanè summâ providentiâ Prætor hoc interdictum proposuit. Frustra enim in possessionem mitteret, rei servandæ causâ, nisi missos tueretur & prohibentes venire in possessionem coerceret *l. 1. §. 1. ne vis fiat ei.* Insuper maximopere necessarium erat: quoniam interdictum uti possidetis non poterat ad eos, qui ex priore iudicis decreto mitterentur in possessionem, ullo modo extendi, Paulus in *l. 3. §. creditores* (ait) *missos in possessionem rei servandæ causâ, interdicto uti possidetis, uti non posse, & meritò, quia non possident. Idem & in cæteris omnibus, qui custodia causa missi sunt in possessionem, dicendum est.* Observandum autem est, quòd ex hoc edicto triplex nascatur auxilium. Primum est ipsum edictum prohibitorium, per quod prohibetur, ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est, *l. 1. in pr. §. hæc verba ff. eod.* Secundum, est iudicis officium, cujus potestate creditor induci debet in possessionem, vel per officialem



lem seu per manum militarem *l. si quis missus in pr. eod.*  
& hæc duo dantur ei, qui missus est, nondum tamen  
in possessionem venit, sive sit prohibitus suo nomine,  
sive alieno *l. suo qui. eod.* Tertium est actio in factum ex eo  
edicto procedens, & datur misso in possessionem, si expel-  
latur: quia frustra in possessionem mittitur, nisi missus  
defendatur *l. 1. §. est autem & §. hæc verba. eod.* Quærat  
hîc aliquis, potestne uti remedio *l. si quis in tantum C.*  
*unde vi*, si quis fortè in possessionem missus repellatur?  
Utique enim facit vim misso in possessionem. Bart. *in l. 1.*  
*§. hæc actio. ne vis fiat ei*, respondet non habere locum  
dictam legem, quæ loquitur de possessore legitimo per  
vim expulso. Hi autem non habent verè possessionem.  
Ergo non potest eis accommodari ea lex. Alia quæstio  
hîc subnascitur: si tertius prohibuerit, & creditor pro-  
hibitus ab eo consecutus sit, quanti ea res est, cujus vide-  
licet causâ in possessionem missus, an nihilominus actio-  
nem ex contractu contra debitorem habeat salvam?  
Respondeo quòd sic, cum enim creditor pœnam doli  
ipsius in possessionem honorum, creditorem ire prohi-  
bentis petat, utique debitum ipsum ex contractu adhuc  
potest petere; pœnalis enim actio rei persecutionem  
non perimit. Et hæc est sententia Cujacij *12. observ. 13.*  
& confirmatur ex *l. 1. §. ult. ne vis fiat ei & c.* ubi actio ista  
ita expressè nuncupatur pœnalis: & ab exemplo *l. 3. §.*  
*& si 14. de tab. exhib.* ubi quis præter rei persecutionem  
etiam pœnam contumaciæ consequitur ab eo, qui ta-  
bularum exhibere non vult. Idem in proposito casu di-  
cendum, cum non absimilis ratio ejus, qui contra edi-  
ctum prohibet quem venire in possessionem, & ejus, qui  
contra edictum non exhibet tabularum. Quæ ita se habent



in extraneo sive tertio prohibente vel non exhibente: quod si ipse, contra quem principalis actio movetur, non exhibuerit, secus esse docet *d. l. 3. §. 15. de tab. exhib.* & ad eundem modum, si debitor, quanti res est, præstiterit creditori, æquum est utique per exceptionem doli actionem ex contractu excludi. Et hæc ansam dederunt Cujac. ut in *l. si quis 51. §. 2. de re judic.* ita legerit, *si debitor præstiterit creditori, quanti ejus interfuerit, quasitum est an debito liberetur.* Hotomannus *s. observ. 15.* ita legit, *si venditor præstiterit creditori, quanti ejus interfuerit, quasitum est an debito liberetur.* Anton. Faber textum emendat & voculam venditor expungit, ut ita totus ille textus de tertio, qui creditorem non admisit, & actione in factum conventus fuit, accipiatur. Quidam ex veteribus pro *venditor* legunt *vetitor*. Et quamvis quisque horum suæ opinionis non spernendas habeat rationes, fateor tamen me magis assentiri sententiæ Cujacij, licet & ea non nihil claudicat.

### XXIII.

Quomodo  
collatur  
decretum  
hoc.

Tollitur autem decretum, si reus post missionem in actione reali intra anni spatium veniat & contumaciam purget, ipsam rem, præstitâ prius satisfactione, de judicio sisti, nec non restitutis expensis, recuperare potest. *l. sancimus C. de judic. & auth. & qui jurat C. de bon. auct. judic. poss. l. si quis emptionis §. penult. C. de præscr. 30. vel 40. ann. c. quoniam §. si reus ext. ut lit. non contest.* In personali verò actione quodocunque venit, antequam secundum decretum interpositum fuerit, & prædictam cautionem judicio sisti offert & damna atque expensas ob contumaciam causatas restituit, auditur, *l. si quis §. penult. C. de præscript. 30. vel 40. ann. & l. si finita §. 34. de damn. infect.*



*infect.* Marant num. 12. de contumacia. Doctores tamen communiter & hic annum expectandum esse putant. *Specul. de secundo decreto* §. juxta n. 2. Innocent. in c. dilecto de verb. signif. Bart. in l. 16. §. Julianus n. 39. de damn. infect. Nobis magis placet distinctio illa inter jus civile & Canonicum, quam etiam tutiorem esse asserit Magnif. Dn. Hahn. in observ. tit. de damn. infect. ita ut secundum illud in realibus actionibus annus sit expectandus l. 8. §. penult. C. de prescript. 30. vel 40. ann. in personalibus vero arbitrium sit tempus, quando ad secundum decretum perueniri debeat per text. in l. 15. §. 21. de damn. infect. Nov. 53. c. 4. Ex jure Canonico autem in realibus actionibus & personalibus tempus annum c. quoniam §. fin. ut lit. non contest. Et hæc de primo decreto dicta sunt. Jam pergendum erit ad secundum.

## CAPUT II.

### DE SECUNDO DECRETO

#### THESIS I.

**S**ecundum decretum est alter jussus magistratus, per quem actor, qui primò custodiæ causa missus fuerat, ob perseverantem contumaciam veram possessionem, aut etiam plenum dominium vel quasi acquirit.

II.

De personis, quæ possunt mittere ex secundo decreto, item quæ possunt missionem petere, non opus est differere. Qui enim primum potest interponere, ille etiam potest secundum: & cui ex primo decreto missio

decreta

Quid sit  
secundum  
decretum.

Qui pos-  
sint inter-  
ponere se-  
cundum  
decretum:  
item, qui  
possint pe-  
tere: item  
cõtra quos  
possit peti.



decreta fuit, ille potest missionem ex secundo decreto petere. Personæ verò, contra quas missio ex secundo potest postulari, non sunt eadem cum illis, contra quas missio ex primo decreto peti potest. Nam in primo decreto, ut antevertimus dicere, *in t. b. s. cap. 1.* sufficit, si modò debitor absens sit & non defendatur; hinc autem in secundo decreto, quod magni est præjudicij, hoc speciale est, ut debitor necessariò fraudationis causâ absit. Ergo illum, contra quem debet secundum decretum interponi, oportet existere contumacem. Hinc non ineptè quæritur, an etiam decreto secundo locus sit contra hereditatem jacentem? Respondeo, ex primo quidem decreto immissio fit in hereditatem jacentem *l. 3. l. 8. quib. ex caus. in possess. eat.* sed ita, ut hic subsistatur, neque ad secundum decretum perveniatur *Zaf. in d. l. 8. num. 4.* Ratio hujus est ista, quod, uti jamjam dictum est, secundum decretum non datur, nisi contra debitores latitantes. Hereditas autem jacens non latitat. Quòd si igitur urgeat æ alienum & creditores sint negotiatores, qui pecuniâ suâ diu carere non possunt, vel alia causa flagitat venditionem bonorum, constituendus erit curator, qui actiones excipiat, respondeat, defendat hereditatem, quousque perveniatur ad sententiam definitivam & procedatur ordinariè, ac si defunctus viveret, & abesset, & post sententiam definitivam vendantur bona non ex secundo decreto, sed pro executione rei judicatæ. *Zaf. ad l. 5. ex quib. caus. in poss. eat.*

### III.

In quibus actionibus decretum hoc locum habeat

Nunc sequitur indagare, in quibus actionibus scilicet locum habeat hoc decretum. Quin in personalibus actionibus decernatur missio ex secundo decreto, nullum



nullum est dubium. An verò in actionibus realibus etiam id obtineat, major est controversia? Respondeo, in actionibus realibus decretum secundum, salvo aliorum iudicio, non esse interponendum. Rationem differentiae, quare secundum decretum interponatur in personalibus & non in realibus, hanc pono, quòd agens personali, petit sibi dari aliquid & quod suum non est §. *appellamus Inst. de act.* & dare est accipientis facere. *l. ubi autem §. fin. de V. O.* Si igitur non det, utile est decretum secundum interponi, per quod fit missus dominus, vel saltem acquirit causam usucapiendi. At is, qui agit rei vindicatione, non petit rem sibi dari, sed eam seu ejus possessionem restitui, quia dicit se dominum rei: unde cum per primi decreti interpositionem nanciscatur possessionem, ut dixi *in thesi 20. cap. 1.* jam adimpletum est ejus desiderium per primum decretum, & habet quod petit. Et hoc in praxi observatur scilicet, da der Beklagte in der nächsten Jahresfrist den rechten nicht gehorsamet/ auch Kläger den erlittenen Schaden erstattet/ so wird er der Kläger nach ablauff solchen Jahres für einen wahren rechtmässigen nießlichen Besitzer und Innhaber gehalten/ wen er schon kein ferner Erkenntniß oder decret außbringeret/ er wolle den solches zum überfluß begehren und dareus bereits nach Jahresfrist wieder kômpt/ mag er doch nicht mehr klagen/ sondern es wird sein Anspruch allein auff daß Eigenthumb zugelassen. Ita Magn. Dn. Hahn. *in tit. de damn. infect.* In puncto verò juris aliter obtinet. Ibi enim textus de missione in possessionem bonorum ex secundo decreto faciendâ loquentes generales sunt, atque sine distinctione tam reali, quàm personali actione loquuntur. Nec ulla occurrit lex, vel Principis consti-

E

tutio,

1. dicitur  
de actioni-  
bus perso-  
nalibus  
2. de acti-  
onibus rea-  
libus &  
quid in  
praxi ob-  
servetur  
circa illas,

Quid ob-  
tineat in  
puncto ju-  
ris.





tutio, quæ generalitatem illarum ad actionem personalem restringere jubeat. Habemus etiam textus, in quibus apertè secundum decretum in reali actione admititur. Nam *in l. 7. §. 15. & 19.* Jctus docet in petitione hereditatis immissionem fieri posse & ita quidem, ut exinde res hereditariæ distrahi possint. Exemplo quoque esse potest *l. 7. §. item videamus 16. ex quib. caus. in possess. eat.* ubi in actione reali erat missio in bonorum possessionem facta; & erat facta ex secundo decreto; idque inde relucet, quòd de ista missione sit sermo, ex quâ adventitionem & distractionem bonorum perveniri potest: Atqui hunc non esse primi, sed secundi decreti effectum plusquam manifestum est & inter omnes constat.

#### IV.

3. De duplicibus judicijs.

Diximus, quòd in actione reali secundum praxin hodiernam decreto secundo non sit locus; in personali quod sit. Quidnam igitur dicendum erit de duplicibus judicijs, scilicet finium regundorum, familiæ herciscundæ, communi dividundo, si adversarius ad divisionem venire detrectat, numquid præsens mittetur in possessionem? Dicunt quidam, quod sic, pro ea parte, quam præsens juraverit suam esse, pro diviso & non pro indiviso. Alij, quorum sententia magis frequentatur, dicunt, quòd actor debeat mitti in possessionem totius rei communis pro indiviso: & missus medietatem fructuum percipiet in re sua, alia verò medietas servabitur arbitrio judicantis, *Specul. §. videndum num. 5. & 6. de secundo decreto.* Non enim videtur, quòd judex possit dividere in præjudicium absentis. Nam per divisionem vel adjudicationem transfertur dominium, *in fin. Inst. de offic. judic.* & quia sic ferret sententiam definitivam lite non

cont-



contestata, quod fieri non debet. Cum verò agitur pro personalibus præstationibus, ut quia unus impedit in re communi, vel quia unus percepit omnes fructus communes, idem juris est, quod in simpliciter personalibus actionibus. Nam istæ actiones & aliæ mixtæ, sicut petitio hereditatis, quantum ad hæc, personales dicuntur, *l. item Labeo scribit §. si unus, l. inter coheredes l. si familia herciscunda ff. famil. hercisc.*

V.

Ut autem rite procedatur & ad secundum decretum perveniatur in actione personali (nam in reali decreto secundum non esse interponendum, antea monuimus) anno elapso (quod Dd. communiter sequuntur) actor petit, ut ex secundo decreto verus possessor aut dominus declaretur. Post hanc petitionem contumacem reum iudex citat iterum tribus vicibus, vel peremptoriè, pro tribus, *Bart. in l. si finita §. Iulianus. de damn. infect. l. de uno quoq, ubi Alexand. ff. de re judic. c. quoniam §. fin. ut lit. non contest.* Si tùm adhuc in contumacia perseveret latitando & se occultando, vel non comparendo, *l. Fulcinius §. quid si satisfacere. ex quib. caus. in poss. eat.* vel compareat quidem, sed satisfacere & respondere detrectet, vel non idoneè satisfacere, vel obscure & dubiè respondeat, *l. de atate §. nihil. de interrogat. Gail. lib. 1. observ. §. num. 1. & 2.* neque etiam satisfaciat actori de damnis & expensis utilibus & necessarijs, quæ propter ejus absentiam pertulit & sine dolo fecit *l. prator ait §. quod prator ait. de bon. auct. judic. poss. paria enim sunt non comparere vel non debito modo l. 1. §. fin. ubi gloss. ad verb. in habilis ff. quod cujusc. univers. nom. & l. 1. §. penult. quor. legat. iudex de causa cognoscet, quia ejus contumacia*

Modus  
quo ad se-  
cundum  
decretum  
perveni-  
tur,





cia pro praesentia habetur. *c. veritatis extr. de dol. & con-*  
*tum. l. contumacia 53. de re judic.* Ad quam cognitio-  
nem causae pertinet inquirere, num reus reipublicae cau-  
sae absit, aut aliam quaedam necessariam, honesta & iustam ex  
causam, an in eam reus sit aetate, cui subveniri soleat; non  
enim debet iudex festinare ad decernendum, ut jubeat  
possidere; alias si decreverit, in integrum restitutionem  
non denegabit *l. 15. §. 22. de damn. infect.* & si tum iudex  
reum fraudationis causam latitare satis cognoverit, se-  
cundum decretum interponit & actorem in vera possessio-  
ne esse fructusque suos facere jubet, *Bart. in §. Julia-*  
*nus num. 40. Panor. in c. quoniam §. ult. num. 46. ut lit. non*  
*contest.* Formam immissionis ex hoc decreto placet  
huc adscribere, quam a Dn. Mynsingero olim conce-  
ptam Magnif. Dn. Hahn. annotavit *in suis observ. ad tit.*  
*de damn. inf.* Nach dem heutiges Tages als auff wel-  
chen mehr den ein ganzes Jahr nach dem ersten Einsatz  
verlauffen gewesen von N. Klägern umb das ander de-  
cret rechtlich angesuchet worden: So haben wir N. von  
neuen durch öffentlich edict oder proclamation citiren  
lassen / weil er aber auch diesesmahl außgeblieben und  
weder selbst noch durch einen Anwalt erschienen und also  
in seinen Ungehorsam verharret: Als haben wir einen  
curatorem der die Güter beschrieben und taxiren lassen  
sol verordnet ic. darauff den folgendes zwischen den ge-  
meldten curatorem und Klägern der Krieg rechtens ver-  
fangen / und von beyden theilen der Eyd für gefehrdet,  
sonderlich aber durch den Kläger also geschworen wor-  
den / das er nemlich gänglich gläube das er seine foderung  
rechtmässig ihue / das ihm auch dieselbe diese zeit noch  
nicht entrichtet sey: Derowegen wir auff dieses derbey-  
den

Forma im-  
missionis  
ex hoc de-  
creto.



den Parten fürbringen und gethanen rechtas/ auch nach  
fleissiger erwegung der eingelegten briefflichen Urkunden/  
erkennet haben. Und erkennen hiermit/ daß obgemeldter  
Kläger auff die Güter/ in welche er hiebevör auß erster  
Erkenntnis gesetzet worden/ zu bezahlung oder vergnügung  
seiner gehaltenen Forderung/ durch daß ander decret, wie  
sich gebühret/ gesetzet sein solle. Und ist nemlich die Behau-  
sung zu N. ihm umb 300. Reichshal. und die Wiesen  
und Acker für 400. angeschlagen/ auch ihnen dasselbige  
alles für Hauptsummen/ erlittenen Kosten und Schaden  
auff seinen derohalbes geschwornen Eyd und unserer er-  
messung geschäzet worden/ &c.

VI.

Cæterum diversimodè decretum hoc à iudice in-  
terponitur pro diversitate circumstantiarum. *Bart. in d.*  
*S. Iulianus num. 52. & 53.* Interdum enim missum domi-  
num constituit, potissimum in materia damni infecti et-  
iam sine venditione; quia non expedit per dilationes  
emptionum in ruinosis ædibus, quæ non facilè empto-  
rem inveniunt *tit. de damn. infect.* spatium ad ruinas  
prorogari. Interdum iudex jubet bona vendi *l. Fulci-  
nius 7. in pr. ex quib. caus. in possess. eat. l. cum proponas l. pro  
debito C. de bon. auct. judic. poss.*, vel quod loco venditio-  
nis est, in solutum addici, si emptor nullus, invenitur  
*l. pro debito, l. à Divo pro S. si pignora. de re judic. & t. t. C. de  
jur. dom. impetr. & auth. hoc nisi C. de solut.* Interdum con-  
stituit solum possessorem *c. quoniam in fin. extr. ut lit. non  
contest. reo.* suo jure integro reservato, etiam post an-  
num repetendæ rei suæ, cum præsertim aliqualis causa  
defensionis, quâ contumacia purgari & excusari potest,

Variè in-  
terponitur  
secundum  
decretum.



subesse videtur. *d. c. quoniam ubi gl. & Da. ut lit. non contest.*

VII.

Si iudex  
venditionem  
decernat  
quomodo  
illa fieri  
debeat.

Videndum paulisper jam erit, si iudex venditionem decernat, quomodo & quando illa fieri debeat? Notandum hic prius est, ut missus in possessionem petere possit venditionem, quatuor necessaria esse. Primum, ut missionem passus latitet; Secundum, ut fraudandi causa latitet *d. l. Fulcinius §. cum hoc edictum*. Tertium, ut de debito constet, Quartum, ut tempus sit præteritum. Si igitur jam hæc requisita adsint, expeditur hæc venditio iudicis officio sine libello: & servabitur forte talis modus. Præco enim clamabit publicè per civitatem in hunc modum: Cajus debet Titio decem, unde bona illius, pro rata illorum decem vendi debent: qui vult emere, emat: & forte subhastabuntur *ut t. t. C. de fid. & jur. hasta fiscal.* Quod tempus attinet, illud est de jure civili arbitrarium. *l. si finita §. non autem de damn. infect.* Cæterum Speculator §. *juxta num. 7. de secundo decreto* variorum varias recenset opiniones, quòd alij statuunt triennium, intra quod emphyteuta jure suo cadit *l. 2. C. de jar. emphyt.* alij biennium ad exemplum conventionalis pignoris *l. fin. C. de jur. dom. impetr.* alij annum, quod tempus statutum est ad recuperandam possessionem in reali, *l. fin. C. d. t. l. 8. §. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* alij duos menses, qui præfiniti sunt debitoribus condemnatis ad solvendum *l. debitoribus 31. de re judic.* alij decem dies à die prolationis primi decreti numerandos *l. promissor. Stich. §. 1. de const. pec.* alij tandem hoc tempus arbitrarium putant, quorum opinionem non improbat Speculator: licet magis eò inclinet, ut  
post



post annum decretum secundum interponi existimet: quam sententiam benè confirmari dicit Bachov. *ad Treutl. tb. 3. lit. C. & D. tit. de benef. quib. credit. ex conjunctis duobus textibus in Nov. 53. cap. 4. §. 1. & in d. l. 8. §. 3. C. de prescript. 30. ann.* Etenim *in d. Nov.* in quâ tractatur de missione in genere adeoque vel maximè ex causâ actionis personalis, constituit Justinianus, ut reversus oblata & præstitâ cautione res suas recuperet: & *in d. l. 8.* idem statuit Justin. ut reversus intra annum recuperet possessionem. Et utcunq̃ue in reali actione, ad quam pertinet *d. l. 8.* novo & secundo decreto opus non esse existimem, (inquit Bachov.) apparet tamen ex ista conjunctione, id in hac actione efficere lapsum temporis, quod in personali efficit decretum secundum. Verùm paulò accuratiùs considerato textu illius Nov. non videtur in illo tractari de missione in genere; sed solùm de missione ex actione personali. Quod satis apertè ostendunt verba illa *secundum mensuram illam declarati debiti.* In actione enim personali quis mittitur secundum mensuram declarati debiti; in reali verò in possessionem rei petitæ.

### IIX.

Cæterùm distractio bonorum debitoris facienda erit, ubi ille se defendere debet, *l. 1. 2. 3. de reb. auct. jud. id est, ubi forum habet competens ratione domicilij, contractûs &c.* (cum & aliàs reus forum sortiatur ratione domicilij & contractûs *l. un. C. ubi de hered. l. 2. §. 4. l. 19. §. 2. l. 45. de judic.*) Planè uti missio facienda est primò in bona mobilia, tum immobilia; ita & distractio primò facienda mobilium, ut quàm minimùm noceatur reo, tum veniendum ad immobilia secundum *l. 15. de re judic.*

Ubi debet  
at fieri  
venditio  
bonorum

### IX. Ven-



## IX.

Ordo cre-  
ditorum,  
quibus sol-  
vendū est,  
venditio-  
ne factā.

Venditione igitur factā, creditoribus solvendum est ex pretio distractorum bonorum, ubi hic ordo servandus est, ut primò solvatur creditoribus hypothecarijs, hoc est, qui pignus vel hypothecam habent, deinde ex eo, quod reliquum est, solvatur alijs creditoribus chirographarijs, hoc est, non habentibus pignus vel hypothecam, *l. pro debito 6. C. de bon. auct. jud. poss.* Et uti notant Doctores *ex l. 10. d. t.* dum constat de debito, sed non de quantitate debiti, stari debet juramento creditoris ex conjecturis & verisimilitudinibus, secundum ea, quæ tradunt *Cæpoll. caut. 208. Cravett. consil. 198. num. 9. Dec. in l. certi condictio §. quoniam num. 88. Hippolyt. de Marsil. singul. 322. Cachéran. decis. 96. num. 3. & Tiraquel. de retract. consanguinit. in fin. num. 61.* Sumptus autem executionis præferri debent omnibus creditoribus, quod etiam eò produxit usus forensis, ut commissarij, sequestri bonorum in causam executionis captorum præferantur omnibus sumptibus in eorum administratione & conservatione factis, ut docet *Charond. lib. 7. resp. 24.* Alia multa etiam præferri solent, de quibus hîc non est dicendum.

## X.

Quod in-  
terdum et-  
iam faci-  
enda sit  
separatio  
bonorum.

Denique hîc observandum est, quod aliquando etiam faciendā est separatio bonorum in hac materia missionis in possessionē, ut in *l. 2. & 7. C. de bon. auct. jud. possid.* Creditores enim hereditarij debitoris defuncti, petere possunt separationē bonorū defuncti à bonis heredis, ut ipsi in bonorū possessionē defuncti debitoris mittantur, & alij, si qui sint creditores heredis, mittantur in bona defuncti, *D. Diodor. Tulden. in tit. C. de bon. auct. judic. num. 5. 6. & 7.* eamque causā cognitā solet Prætor concedere, quando debitori defuncto succedit heres, qui non



non est solvendo proprijs creditoribus, eâ ratione ne in confusionem veniant bona defuncti cum bonis heredis, (quia una est persona cum defuncto & per aditionem fit dominus bonorum,) atque inde sentiant detrimentum creditores defuncti, quibus solis sufficiens est separata hereditas, minùs verò sufficiens, si concurrant cum creditoribus heredis, *l. 2. C. d. t. & l. 1. de separat.*

XI.

Restat nunc dicere de fine & effectu hujus decreti. Finis est ut debitoris latitantis nimia contumacia ac protervitas refrenetur & agenti creditori contra reum frustratorem ad consequendum debitum consulatur. Quod effectum hujus decreti attinet, ille magnus est, quia illud efficit possessorem, ita ut is fructus suos faciat *l. si finita 19. §. Iulianus, & in d. c. quoniam. §. posteaquam* usucapionem præstat *d. §. si finita §. Iulianus l. prætoris l. dies l. his qui pignori 12. de damn. inf. t. t. de public. in rem act. imò verum dominum facit, Dd. in d. l. si finita §. Iulianus §. posteaquam.* Notandum tamen hîc est, quòd in omnibus personalibus actionibus quidem locum habeat secundum decretum, non tamen in iisdem eundem operari effectum. Nam in causa noxali & damni infecti constituit missum dominum, si reus, qui non cavebat de damno, vel qui respondebat in actione noxali, erat dominus. Si verò non erat, constituit eum verum possessorem & parat ei causam usucapiendi, & præscribendi *l. si finita §. Iulianus de damn. infect. l. possideri. in fin. de acquir. possess. l. electio in fin. & l. generaliter de nox. act. l. 3. in fin. si ex nox. caus. ag.* In alijs autem personalibus constituit missum possessorem *d. l. si finita §. si quis autem,* in hunc scilicet finem, ut liberetur ab onere pro-

Finis hujus decreti

Effectus

**F**

bandi



Quid ob-  
tineat de  
jure Saxo-  
nico.

bandi debitum, non tamen præscribit: quia quando-  
cunque dominus veniens offerret debitum, restituere-  
tur ei res sua; *d. c. quoniam in fin.* nisi iudicis auctoritate  
vendita fuerit, vel in solutum addicta: quæ remedia dan-  
tur post interpositionem secundi decreti. Ad effectum  
etiam spectat, quòd creditor, cui res in solutum data est,  
justam causam habeat possidendi & præscribendi: sive de-  
bitor fuerit dominus rei possessæ, sive non, & usucapit  
etiam sciens rem datam in solutum fuisse alienam. *l. sunt  
& alia, in fin. de public. in rem act. l. & generaliter de noxal.  
act. c. abbate sanè ext. de re judic.* In realibus verò lapsus  
anni, qui habetur loco secundi decreti, facit verum, id  
est, incommutabilem possessorem *c. contingit. extr. de dol.  
& contumac.* Et hæc de jure communi ita se habent in  
primo & secundo decreto. Jure Saxonico neutri locus  
est; sed si de contumacia rei agatur, statim fit condemna-  
tio in totam causam: nisi legitima possit docere impedi-  
menta, quæ vocant *die Ehafften*: quibus legitimis im-  
pedimentis cessantibus dicitur contumax *bis auff die  
hülff erstanden und erlangen* / quâ de re eleganter expli-  
cat Hartman. Pistoris *lib. 1. quest. 4.* & Andr. Rauchbar.  
*lib. 1. quest. quest. 1. Coler, p. 3. de process. execut. c. 10. n. 5.* ubi  
declarat textum *Sandtrecht lib. 1. art. 70.* Et hæc sunt, quæ  
de primo & secundo decreto tradere volui. In quibus si  
quædam minùs ad rem dicta videbuntur, materiæ diffi-  
cultas apud æquos excusationem, uti nullus dubito, fa-  
cilè merebitur Censores. Idque eò magis, quòd ipse  
lubens agnosco alium invenire posse plura &  
meliora, neminem omnia.

SOLI DEO GLORIA.





**P**AUCOS antedies carmen lugubre ferebas,  
Quô solabaris tristia fata mea;  
Fata, quibus subitò sævæ florentibus annis  
Parcæ gnatarum par rapuère mihi.

Ast tibi nunc læto perlongum pangere carmen  
Posceret officium, care Iegere, meum.

Hoc etenim pietas, hoc fama & candida virtus,  
Hoc animi dotes promeruère tui.

Sed nigrâ tempus redimita utrumque cupresso  
Ingeminans tristes corde dolente sonos

Lætitiæ, Iegere, tuæ, non convenientuda  
Musa; etenim lætos carmina læta decent.

Ergò sodalitij pars ô dulcissima nostri  
Accipe, quæ scripsi carmina pauca tibi.

Accipe, care, rogo, affectûs, dum vita manebit,  
Indicia erga te non moritura mei.

Sic tu dilectæ post funus triste puellæ  
Tam citò te nostris eripis ex oculis?

Vade age, nam patriam fas est præponere nobis:  
Patria nam multò dulcior & melior.

Vadè



Vade age, sed rubrâ meritò redimite tiarâ  
Tempora, quam nectit Iulia nostra tibi.

Vade age, sed veteris memor hospitis esto, paterno  
Qui te complexus semper amore fuit.

Clarissimo Dn. CANDIDATO  
ita affectum suum ostende-  
re voluit

IOANNES Eichel D.

---

**I**ÆGERE, paucis persequar Tuam laudem.  
Cani patris præcipua spes Camenarum  
Devotus audis cultor & labascentis  
Columen Themistos inclutum reviviscis.  
Hoc publicum, quod jam subibis, examen,  
Hoc scriptio testabitur satis præsens.  
Maçte hâc & isto! Quod modestus ambisti  
Suâ brabeum sponte mox secuturum est.  
Ita Themis alma, ita Apollo dexter adspiret!

Clarissimo Dn. CANDID. ex animi senten-  
tiâ festinatissimo calamo preceatur

E. GLÆSER J. U. D. & Profess.  
Novell. Ordinarij

**F I N I S.**



99 A 6924

ULB Halle 3  
002 636 603




SR

V. 17











23. 37

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PRIMO ET SECUN-  
DO DECRETO

QUAM  
DIVINO ANNVENTE NUMINE  
EX DECRETO ET AVCTORITATE MA-  
GNIFICI ICTORUM ORDINIS IN IL-  
LUSTRI ACADEMIA IULIA,

PRÆSIDE  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. JOHANNES EICHELIO, ICTO,  
PANDECTARUM PROFESSORE ORDINARIO,  
DICASTERII GVELPHERBYTANI ADSESSORE,  
FACULTATIS IURIDICÆ HODIE DECANO  
SPECTATISSIMO,  
DOMINO PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO  
ÆTERNUM DEVENERANDO

PRO LICENTIA  
CONSEQUENDI SUMMOS IN UTROQUE JURE  
HONORES AC PRIVILEGIA

*Publica disquisitioni exhibet*

JOHANNES Jäger HAMBURGENSIS  
IN IULEO MAJORI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

*Ad diem 4. Septembris.*

HELMESTADII,  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO I3C LXII.